

indifferenti, sed quatenus in ipso modo operandi dependet intrinsece, et essentialiter ab objecto, et motivo proposito per intellectum. Et sicut voluntas ex ipsa sua natura non potest ferri in incognitum, ita nec potest ad unum præ alio determinari, nisi aliquod motivum habeat, quod præ alio determinet, et emineat, sive sit motivum ipsi objecto intrinsecum sive non; quia voluntas est potentia ex sua natura mobilis ab objecto, nec potest operari nisi ut mota ab illo. Unde si duo bona proponantur, et ab uno præ alio movetur, hoc objectum sic movens, convenientius, et majus est in movendo præ alio.

XXIX. Ad primam confirmationem respondetur, quod in illa sententia, quod voluntas potest etiam physice omnem actum suspendere, non currit noster casus, quia non eligit minus neque majus bonum, sed nihil facit, seu suspendit se, nihil vitaliter operando, nec circa objectum occupata. Et sic non mirum, quod sive motivo objecti se suspendat, quia illa suspensio non est actus circa aliquod objectum. Sed difficultas est, an voluntate operante circa aliquod objectum, et operationem exercendo, possit circa minus bonum, etiam non vestitum meliori dictamine, et motivo, sed æquali, aut minori iudicio stante solum pro sua libertate ad minus inclinari, et moveri, quod totum supponit dari operationem, et non suspensionem. Veritas tamen est talem suspensionem physicam non debere admitti, ut supra diximus.

XXX. Ad secundam confirmationem respondetur, quod in illo casu determinabitur voluntas a motivis extrinsecis, sicut sunt circumstantiæ, aut aliæ conditiones ibi concurrentes, et individuantes, aut ipsamet experientia propriæ libertatis, scilicet quia vult, aut ipse impetus

famis eam determinabunt. Quantumcumque autem urgeat instantia temporis facile est voluntati movere intellectum ad consideranda ista extrinseca, aut unum præ alio, et sic determinari; imo quanto magis urgent ista, tanto solent celerius considerari, et sic determinari. Quod si voluerit voluntas illa considerare, nec ab eis moveri, manebit suspensa, non ex defectu motivi, sed quia determinari non vult. Et cum dicitur, quod non manet libertas, si cogitur manere suspensa, respondetur quod non cogitur simpliciter manere suspensa, neque ex defectu motivi, neque ex defectu iudicii, et dictaminis, quod facile potest formare, et mutare prout voluerit, et sic non suspendi, sed illa motiva applicare, quibus moveatur. Quod si noluerit, non suspenditur, ex necessitate, sed ex arbitrio suo, imo non suspenditur, quia de facto habet nolitionem.

XXXI. Ad ultimam instantiam dicitur, quod post illam inquisitionem possunt illa motiva manere æqualia ex parte suæ bonitatis intrinsecæ, transeat; ex parte motivorum extrinsecorum, et dictaminis practici, nego. Hæc enim motiva cum tam multa, et varia sint, atque ex tam inæqualibus circumstantiis consurgant, non possunt semper, et omnibus modis esse æqualia, si voluntas velit, quia saltem potest ratione experiendæ propriæ libertatis, aut ratione propensioris affectus, vel impetus naturæ, vel ex aliqua alia circumstantia, et conditione extrinseca facere quod emineat unum motivum præ alio, et sic proponatur ab intellectu, et illa propositio facit dictamen majus, aut convenientius practice, et in ratione movendi. Nec voluntas tunc suspenditur, quia potest applicare intellectum ad formandum, vel mutandum tale dictamen ut voluerit, quia voluntas po-

test ad libitum illud formare, et mutare, ac diversa motiva facere proponi. Quare tota resolutio controversiæ ad hoc punctum reducit, quod voluntas potest quidem determinare se circa minus bonum, vel æquale, tamen oportet quod ex parte intellectus sibi proponatur, et repræsentetur illudmet motivum unde ipsa movetur ad hoc præ alio acceptandum non sine tali repræsentatione, et in hoc in quo movetur præ alio, magis illud eminet, et convenientius ostenditur. Et sic ex parte motivi semper eligit majus, vel convenientius, ex parte rei potest eligere etiam minus.

ARTICULUS III.

Utrum circa impossibilia possit esse electio et voluntas?

I. D. Thomas in hac quæstione XIII, art. v, duo dixit. Primum, quod electio solum potest esse possibilium: secundum, quod voluntas imperfecta potest esse de impossibili. Dicitur voluntas imperfecta, voluntas inefficax, quæ ab aliquibus velleitatis dicitur. De primo dicto non est difficultas, quia electio est voluntas determinata, et efficax circa media in ordine ad consecutionem finis. Consecutio autem finis repugnat cum medio impossibili; ergo si cognoscitur, et iudicatur medium impossibile, repugnat quod per tale medium fiat tendentia ad consecutionem finis. Si autem detur ignorantia hujus impossibilitatis, poterit esse electio talis medii impossibilis per accidens, scilicet ratione ignorantia; erit enim electio de re secundum se impossibili, iudicata tamen possibili; quod est formaliter, et motive esse de re possibili; vo-

luntas enim iudicio regulatur, non eo quod in re est.

II. De secundo dicto est difficultas, quomodo voluntas imperfecta possit esse de re impossibili, quando iudicatur esse talis. Nam si iudicetur esse possibilis, non solum imperfecta, et inefficax voluntas, sed etiam perfecta, et efficax dari potest. Ratio dubitandi est, quia ex una parte constat per experientiam dari talem voluntatem; nam mortuo parente, vel amico, adhuc vellemus ipsum vivere; et desperata salute infirmi, adhuc vellemus ejus sanitatem, et damnati vellent Deum non esse, aut eorum tormenta finire, quæ omnia impossibilia sunt: ergo circa impossibile datur voluntas imperfecta, et inefficax. Ex alia vero parte urget valde ratio metaphysica, quia impossibile iudicatum ut tale caret entitate, ergo et bonitate, et sic apprehenditur ut carens illa; ergo non potest esse objectum alicujus actus voluntatis, quia objectum ejus adæquantum est bonum; ergo quod caret omni bono, et sic apprehenditur, caret omni objecto voluntatis sicut quod caret omni colore etiam apparente, caret omni objecto visus. Nec potest dici, quod circa impossibile datur actus conditionatus voluntatis, non absolutus. Nam iste actus vel de facto elicitur a voluntate, vel non. Si non elicitur, non datur in re: si elicitur, ergo habet de facto objectum circa quod versetur, scilicet aliquod bonum; nec enim potest actus alicujus potentia versari circa id quod solum conditionate, et non de facto est objectum talis potentia, sicut non potest dari actus videndi circa id quod est coloratum sub conditione; ergo nec actus voluntatis circa bonum sub conditione.

III. Et confirmatur, quia possibilis in puro statu possibilitatis non amantur a Deo, etiam actu ineffica-

ci (ut diximus in tomo, I part. disp. IV.) Ergo multo minus impossibilia sub statu impossibilitatis, id est, cognita ut impossibilia non poterunt amari, quia magis repugnat amori impossibile, quam possibile sub statu puræ possibilitatis.

IV. In hac difficultate dissolvenda, varia est auctorum sententia. Quidam enim attendentes ad impossibilitatem objecti, inde conantur illam dissolvere. Alii attendunt ad actus voluntatis, et distinguunt diversos actus, quorum aliqui possunt ferri circa impossibile, alii non. Ex parte impossibilitatis objecti, in primis Cajetanus I p. q. LXIII, art. III, et alii auctores distinguunt duplex impossibile. Unum per se, et ab intrinseco, sicut id quod involvit contradictionem: aliud per accidens, et ex aliqua suppositione, verbi gratia pater mortuus est impossibilis non ratione sui absolute, et ex prædicatis intrinsecis, sed ratione præteritionis, et mortis. Dicunt ergo hi auctores, quod impossibile primi generis non potest appeti per se, et ratione sui, quia caret omni fundamento appetibilitatis, cum implicet contradictionem; potest tamen appeti per accidens, et ratione alicujus adjuncti, sicut damnati appetunt Deum non esse, non in se, quia hoc implicat, sed quia sic evaderent pœnam, quam Deus illis infligit. Impossibile autem secundi generis dicunt posse appeti ratione sui, et per se, sicut si ego vellem patrem meum vivere, attendendo ad id quod est patris præcise, non ad illud conjunctum patris mortui, patrem enim mortuum in sensu composito vivere non volo. Alii cum Lorca hic disp. XVII, membro II, distinguunt impossibile secundum se, et impossibile mihi; sicut Deum non esse est impossibile in se; me autem esse Angelum est impossibile mihi. Et dicunt impossibile pri-

mo modo non posse appeti, nec per se, nec per accidens; bene tamen secundo modo appeti potest sub conditione: Si esset possibile: has enim voluntates conditionatas admittit Lorca contra Vazquez, statim citandum.

V. Ex parte autem voluntatis, in primis Scotus in II, dist. VI, quæst. II, quem sequitur Gabriel et alii, distinguunt de voluntate efficaci, et inefficaci et dicunt, quod voluntate efficaci non potest voluntas ferri in impossibile, bene tamen voluntate inefficaci, quæ non est aliud quam simplex complacentia de objecto. Alii distinguunt de actu deliberato, et indeliberato, et dicunt quod circa impossibile, quod est tale per se, et ab intrinseco potest ferri voluntas actu indeliberato, non vero actu deliberato. Circa impossibile autem, quod est tale per accidens, et ex suppositione potest etiam deliberate ferri voluntas. Alii simpliciter docent circa quodcumque objectum impossibile posse dari actum voluntatis conditionatum, qui dicitur velleitas, non autem absolutum, qui sine ulla conditione tendit in objectum. Quæ est communis sententia inter Thomistas.

VI. Pater Vazquez hic disp. XLII, a capite secundo usque ad quintum negat dari de facto in voluntate actus istos conditionatos, sed omnem actum, qui de facto datur esse sine conditione, explicarique per verbum de præsentis. Ad hoc autem ut verificetur, quod voluntas vellet aliquid sub conditione, non requiritur de facto aliquis actus in voluntate, sed sufficit quod daretur aliquis sub aliqua hypothesis. Quæ sententia habet affinitatem cum illa, quæ negat dari in Deo actum conditionatum ex parte objecti, et absolutum ex parte actus, de quo egimus late I tomo, I p. disp. XX et II tomo, disp. V. Negat etiam Vazquez distinctionem illam

de impossibili per se, et per accidens quantum ad propositum, sed dicit quod impossibile per se, et ab intrinseco, si appetitur ex aliquo adjuncto, per se appetitur, et non per accidens, quia non implicite, et in alio, sed in se. Unde resolute tenet cum Scoto dari voluntatem absolutam circa impossibile, sed inefficacem, quæ est simplex complacentia, seu affectus.

VII. Nihilominus resolutio nostra sit: Circa impossibile judicatum ut tale, sive sit impossibile per se, et ab intrinseco, sive per accidens, potest dari voluntas inefficax, quæ est simplex complacentia tam deliberata, quam indeliberata, quæ potest esse absoluta ex parte actus circa bonitatem consideratam secundum se, conditionata autem ex parte objecti, et acquisitionis ejus.

VIII. Prima pars conclusionis constat argumentis factis, et exemplis, quæ negari non possunt, sicut quando optamus vitam parentis mortui, explicamusque affectum per modum optativi circa rem impossibilem, ut si aliquis dicat: Utinam essem Angelus: utinam non esset infernus: si adulterium non esset peccatum, et similia, quæ manifeste sunt impossibilia. Nec in hoc est differentia inter impossibile per se, et per accidens, quia circa utrumque potest considerari aliqua bonitas secundum se, licet non ut assequibilis, multa enim fingimus in quibus complacemur, sicut potest aliquis fingere montem aureum, et illum desiderare, aut velle corpus ex materia cœlesti, vel ex materia ferrea, aut simili, et sic complacere in tali fictione: multa enim in libris et poematibus scribuntur, quæ sunt omnino ficta, et non solum impossibilia per accidens, sed etiam per se, et ab intrinseco, sicut sunt domus aureæ, aut gemmatæ, transmutatio hominum in deos, aut in

aves, vel arbores, quæ tamen cum voluptate, et cum voluntate leguntur, etiam similia desiderando, licet non efficaciter, et tamquam rem assequibilem volendo. Non potest autem circa impossibile dari voluntas efficax, quia illa est efficax, quæ intendit assecutionem, et existentiam rei. Quod autem judicatur impossibile, cognoscitur ut impossibile et repugnans existere: ergo quamdiu subjacet illi iudicio non potest intendi ejus assecutio, et existentia, nec per tale dictamen regulari.

IX. Quod vero possit hæc voluntas inefficax esse deliberata patet, quia voluntas non intendens assecutionem, sed solum simplici modo complacens, potest esse cum plena advertentia rationis, et plene voluntaria, voluntate se determinante, et movente; ergo cum plena deliberatione. Patet consequentia, quia deliberatio non est aliud, quam voluntatis se moventis determinatio cum plena advertentia rationis. Antecedens probatur, quia potest aliquis ex complacentia alicujus mulieris movere se ad volendum, vel complacendum de ejus matrimonio quod tamen judicat esse impossibile, vel propter impedimentum status, vel propter excellentiam personæ. Et similiter aliquis potest moveri ad desiderandum sibi unionem hypostaticam, quam judicat inassequibilem, et ad rem chimæricam, ut montem aureum, aut ad habendum corpus cœlesti; quæ omnia sunt impossibilia, et a fortiori potest voluntas indeliberata dari circa illa, quia indeliberatio minus attendit, et sic minus retrahitur ratione impossibilitatis ad amandum.

X. Quod vero ista voluntas inefficax impossibilia possit esse absoluta patet, quia potest representari aliqua bonitas, vel delectabilitas objecti impossibilis sine ulla conditione, sed secundum se, videndo im-